

Disputatio IX,
DE IVSTIFI-
CATIONE,
EX ARTICVLO CONFESSIO-
nis Augustanae quarto.

Cuius subiectas Theses,
DEO CLEMENTER ASPIRANTE,
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiae
Doctore & Professore, OSVVALDVS *Am Ende*
Herzbergensis, in Collegio Disputationum
Theologicarum privato,
tueri conabitur,



WUITEBERGAE,
Excudebat Matthæus Welack,
ANNO M. D. XCIII.

DE IUSTITIA

EX ARTICULO CONTESTATIONIS

DEO CLEMENTER ASPIRANTE
RESIDENDO HUNNIO THEOLOGICO
DOCTORE & PRAEFECTO OSVALDO
HABERGERO in Collegio Disputationum



Excudebat Matthias Wack
ANNO MDCXII



DE IUSTIFICATIONE

Disputatio,

I.

Idem est in præcedente articulo, quomodo Christus factus sit hostia pro peccatis nostris, non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis.

2. Nunc quomodo acquisitum beneficium remissionis peccatorum in Iustificatione nobis applicetur, erit differendum.

3. Significat autem in hac, quæ inter nos & Papistas agitur, controversia, iustificandi vox, non declarationem iustitiæ coram hominibus, quam per bona opera fieri Iacobus verè asserit.

4. Sed significat eiusmodi actum, quo homo coram Deo & tribunali eius à peccatis suis iustificatur, seu à reatu peccati & damnationis absoluitur, & vicissim recipitur in gratiam Dei, condonatisque peccatis iustus adeoq; regni cœlestis hæres pronuntiatur.

5. De hoc ait Augustana Confessio, quòd homines non possint coram Deo iustificari proprijs viribus, meritis aut operibus, sed quòd gratis iustificentur, propter Christum, per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro peccatis nostris satisfecit. Quam fidem imputet Deus pro iustitia coram ipso Rom. 3. & 4.

6. Primò removentur à iustificatione hominis Peccatoris coram Deo propriæ vires, merita & opera, atque sic causæ fictitiæ à Papistarum grege iactari solitæ.

7. Vires enim nostras quod attinet, sūt illæ ad spirituale bonum mortuæ, nosq; sumus ante iustificationem in peccatis mortui Ephes. 2. ita ut nullæ nobis supersint vires, quicquam vel operandi vel cooperandi ad nostri vel conuersionem vel iustificationem Iohan. 15. Philip. 2.

8. Merita nostra coram Deo nulla sunt, nisi quòd peccatis iram Dei & æternas pœnas commeremur.

9. Opera iustificare nequeunt: quia nec præcepta opera, neque sine Dei mandato spontè suscepta id faciunt.

Iustificandi vox

opera non iustificant

10. Spontè susceptis & ex quadam animi deuotione citra Dei verbum aut mandatum præstitis operibus frustra Deo seruitur. Esaiaë 29. & Matth. 15.

11. Verbo Dei præcepta opera, vi mandati diuini iã antè debita sunt. De quibus Saluator: Si omnia feceritis, quæcunque præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus: quia quod debuimus facere, fecimus. Luc. 17.

12. Accedit huc, quòd opera nostra peccato adhærente contaminata, ideoque imperfecta, mutila & manca sunt, nobisque cupientibus facere bonum, malum adhæret Rom. 7. ideoque omnes nostræ iusticiæ coram Deo, ut pannus immundus. Esa. 64.

13. Et neminem iustificari à peccatis suis coram Deo per opera, Paulus definitiua sententia decernit Rom. 3. pronuncians, omne os obturari & obnoxium fieri totum mundum Deo, propterea quòd ex operibus legis non iustificetur omnis caro in conspectu eius.

14. Vbi Diuus Apostolus non Ceremonialis duntaxat legis opera intelligit, sed præcipuè Moralis. Siquidem illud suum affirmatum infert ex enumeratione talium peccatorum, quæ committuntur aduersus legem, nõ Ceremonialem sed Moralem. Vnde & illatio ad ea opera dirigitur è foro iustificationis excludenda, quæ Decalogi lege morali præcepta sunt.

15. Quid, quod Paulus asserens, nullam carnem iustificari ex operibus legis, eiusmodi rationem subijcit, quæ Moralem legem absque controversia respicit? addens: per legem enim est agnitio peccati.

16. Quod de lege Morali accipiendum esse, Paulus Rom. 7. luculenter ostendit, scribens; peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset: non concupisces.

17. Neque est, ut quis renatorum operibus aut infusis qualitatibus & virtutibus laudem iustificationis adscribat.

18. Siquidem nec Abraham quàmlibet renatus, ex operibus iustificatus est, Rom. 4. nec Paulus suæ nouæ obedientiæ operibus aut virtutibus istam vim attribuit, sed apertè derogat: Nihil mihi, inquit, conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. 1 Cor. 4:

19. Nec

*Hæc opibz renatorum
laus iustificatis adscribi
non debet*

19. Nec renatus Esaias suis nititur operibus in articulo iustificationis, sed eas nimis esse sordidas & immundas ingenuè proficitur. Esa. 64.

20. Adhæc si quis iam renatus est, utique & iustificatus. Itaque renatorum opera non antecedunt iustificationem ut illius causa, sed sequuntur ex iustificatione ut eius effectus.

21. Certum etiam est, non personam propter opera placere Deo ad iustificationem: sed potius ob personam iustificatam placere opera Gen. 4. & Heb. 11.

22. Insuper si totus mundus convincitur, quòd ex operibus legis non iustificetur VLLA CARO Rom. 3. utiq; nec renati, qui & ipsi sub complexu totius mundi & omnis carnis continentur, quorù opera sùt quoq; legis opera teste Paulo Rom. 7. & 13.

23. Quin & Apostolicum illud: si ex gratia, non iam ex operibus, omnem omninò restrictionem respuit. Iustificantur autem renati quoque ex gratia. Ergò non ex operibus suis.

24. Nec possent renati sibi certò polliceri gratiam Dei in grauioribus præsertim consciëntiæ certaminib⁹, si iustificatio illorum niteretur operibus: quia nunquam scire possent, quando satis haberent bonorum operum, & nùm illa sic comparata sint, ut consistere valeant: præsertim cum illorum extremam indignitatem sancti quàm maximè agnoscant.

25. Ideoque Scriptura non solum ab uno salutis gradu, sed ab omnibus planè operum respectum remouet, hoc est, ab electione, vocatione, iustificatione, & saluatione. Sic docet, Electos nos esse sine operibus Rom. 9. & 11. vocatos non secundum opera nostra 2. Tim. 1. iustificatos non ex operibus Rom. 3. 4. Gal. 2. denique saluatos etiam & beatificatos absque operibus. Rom. 4. Ephes. 2. Tit. 3.

26. Cur etiam obedientiæ nostræ nouæ acceptam feremus nostram in DEI foro iustificationem, cum tamen Paulus scribat, nos VNIVS Christi obedientia iustificari? Rom. 5.

27. Et quia iustificatio nostra tota vertitur in remissione peccatorù, quod Paul⁹ ex Psal: 32. palàm tradit: spontè sequitur, nullà à nobis exigi satisfactionem operum, alias non esset condonatio debiti: sed absque omni nostra satisfactione debitum grande illud decem millium talentorum nobis remitti gratis, quod & parabola Matth. 18. docet.

A 3

28. Idem

*Nec obedientiæ
nostræ*



Septa .

28. Idem arguunt exempla. Primi parentes citra omnem respectum vel bonorum operum vel inhærentium qualitarum iustificantur Gen. 3. vt & Publicanus Luc. 18. Et Apostolus Paulus Act. 9. & 1. Tim. 1.

29. Vnde sic inferre licet: Si hi iustificati sunt absque omnibus planè operibus; utiq; & nos simul omnes, siue renati simus siue nondum renati, citra operum aut inhærentium virtutum intuitum iustificabimur. Ratio consequentiæ est hæc: quia Deus in verbo suo non geminam proponit rationem iustificandi homines, vt quosdam sine operibus, alios verò ex operibus iustificet: sed vna duntaxat est & manet iustificationis ratio.

30. Vnde Paulus suæ iustificationis historiam scribit esse propositam ut exemplar ijs, qui credituri sint in Christo Iesu ad vitam æternam. 1. Tim. 1.

31. Remotis hoc pacto ijs, quæ à Pontificia cohorte falsò venditatur pro causis iustificationis: nunc veræ assignantur in nostra Confessione: Gratia Dei, meritum Christi, & fides.

*Causa iustificatio
nis*

32. Gratia Dei hoc loco non χαρίσματα qualitarum inhærentium significat, sed, Apostolo explicante, Misericordiam eius, charitatem, qua dilexit nos, eminentem opulentiam gratiæ ipsius, & benignitatem erga nos per Christum Iesum, χρηστότητα καὶ φιλανθρωπία τῷ θεῷ, qua remittit peccata, & dilectos reddit in dilecto, Eph. 1. & 2. Tit. 2. & 3.

33. Hac gratia Dei, quæ omne nostrum meritum secludit, iustificari nos coram Deo tota scriptura clamat.

34. Vt quod dicitur, iustificari nos gratis per illius gratiam Rom. 3. Deum iustificare impium, non operantem, id est, operibus non fidentem Rom. 4. Ex fide dari hæreditatem ut secundum gratiam, ut firma sit promissio Rom. 4. Gratia saluati estis, idq; non ex vobis, DONVM Dei est, non ex operibus, ne quis gloriætur Eph. 2. Non est currentis nec volentis, sed miserentis Dei Rom. 9. DONVM Dei vita æterna Rom. 6. Secundum misericordiam saluos nos fecit Tit. 3. Quod prius dicta parabola Matth. 18. & exempla primorum parentum, Publicani, Pauli, & aliorum demonstrant.

35. Secunda causa nostræ iustificationis est obediētia Christi, cum

cum actiua, qua legem pro nobis adimpleuit Rom. 5. & Gal. 4.
tum passiuā, qua maledictum legis pro nobis sustinuit Gal. 3.
in cruce pro nobis patiendo & moriendo.

36. Idcirco in sacris literis adscribitur iustitia & salus no-
stra passioni Christi. Esa. 43. & 53. mortis eius Rom. 5. san-
guis ipsius Rom. 3. 1. Iohan. 1. Quin & resurrectioni illius
Rom. 4. Philip. 3.

37. Atq; huc pertinent ea dicta simul omnia, quæ propter
Christum nos iustificari & saluari, atque ipsum à peccatis nos
liberasse testatur, Matth. 1. Act. 4. 10. 13. & 1. Cor. 1. & innume-
ra loca alia.

38. Tertia causa Iustificationis est fides. Hac enim iustificari
hominem decernit & concludit ex Spiritu sancto Paulus Rom.
3. & 4. Gal. 2. & 3. Ephes. 2. & alibi: hæc est, qua vivit iustus
Hab. 2. qua homo placet Deo Heb. 11. purificantur corda Act.
15. quæ etiam ad iustitiam imputatur credenti in illum, qui iu-
stificat impium Rom. 4.

39. Quemadmodum & Rom. 3. legitur: Iustitia Dei per
fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in
illum.

40. Hæc verò non definitur sola & nuda noticia, vel capi-
tum doctrinæ, vel historiæ de Christo. Nam & Dæmones hoc
modo credunt, sed contremiscunt. Iacob. 2.

41. Sed ad noticiam hanc fiducia cordis accedat necesse
est, qua homo, lege Dei exterritus, voce Euangelij in hanc
fiduciam erigatur, vt in throno gratiæ & salutis autore Iesu
Christo suum perfugium quærat, in eiusque meritum, sangui-
ne & morte illius acquisitum fiducialiter recumbat.

42. Idcirco Paulus Abrahæ fidem non nuda notitia, sed e-
tiam *ἡλικροφροσία* describit, quæ diffidentiam carnis vincat &
superet. Rom. 4. Et Hebr. 11. definitur fides *ὑπόστασις* re-
rum sperandarum, & *ἔλεγχος* eorum, quæ non apparent.

43. Hinc

de fidei definitione



*quomodo Fides
iustificat*

43. Hinc toties reperitur: Beati qui cōfidūt in illo. Et Christus in fidem erecturus paralyticum ait. CONFIDE fili, remittuntur tibi peccata. Matth. 9.

44. Iustificandi porrò facultas assignatur fidei, non quā in se spectatur, ut habitus, aut infusa virtus. Sic enim & præcepta est, ideoq; nihil meretur Luc. 17. & est unius tantum præcepti Decalogi opus, atque insuper multis modis imperfecta.

45. Sed iustificat, quatenus relatē se conuertit ad promissionem gratiæ de Christo. Sic enim licet in sese languida existens, fundantur tamen in petra salutis, ut adversis impetum Diabolorum & portarum inferni tuta & in concussa perstet.

46. Sic quoque includit obedientiam Filij Dei indebitam: eamque non unius præcepti, sed omnium, adeoq; totius legis.

47. Phrasis denique: Sola fide iustificamur, etsi non totidē literis reperiatur in scriptura: tamen ratione sensus in ea fundata extat.

48. Quia enim usurpatur ad secludendum operum respectum: certē quoties legitur apud Paulum iustificari nos sine operibus, toties explicitē asseritur, quod aliàs particula, Sola, implicitē demonstrat.

49. Idemque ad unguem vult particula Gratis, item, cū dicitur Deus iustificare non operantem Rom. 4. Et cum Paulus ait: Scimus, non iustificari hominem ex operibus legis, NISI per fidem Iesu Christi Gal. 2. quod idē est, ac si dixisset: Sola fide.

50. Et fuit hæc phrasis usu recepta apud Scriptores veteres, Hilarium, Basilium, Hesiichium, Chrysostrum, Ambrosium, Augustinum & alios.

51. Neque tamē ea phrasi opera secludimus à iustificata persona, sed tantū ab ipsa iustificatione, ne hanc præcedant & efficiant ut causæ, sed ex illa sequantur, ut fructus iusticiæ, quem admodum etiam sic dicuntur Gal: 5. Qua de re fusius, Deo volente, in Disputatione proximè futura.

F I N I S.

AB 61 430

ULB Halle

3


002 694 131



SK







Disputatio IX,
D E I V S T I F I
CATIONE,
EX ARTICULO CONFESSIO-
nis Augustanæ quarto.

Cuius subiectas Theses,
DEO CLEMENTER ASPIRANTE,
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ
Doctore & Professore, OSVALDVS AMENDE
Herzbergensis, in Collegio Disputationum
Theologicarum privato,
tueri conabitur.



W U I T E B E R G A E,
Excudebat Matthæus Welack,
ANNO M. D. X C I I I.

